



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ocylvs, Hoc Est: Fvndamentvm Opticvm

Scheiner, Christoph

Freiburg i. B., 1621

Cap. XI. Refractio è Vitreo humore tunicam Retinam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71258](#)

Vitrei densitas sensu explorata, ut hæc res extra omnem dubitan-
di aleam videatur aut constituta, aut constituenda. Etenim quid
pleraque argumenta allata valcent, constat partim ex capite 8. &
elucescer clarius sparsim in sequentibus.

REFRACTIO RADII VISORII EX
humore Vitreo in tunicam
Retiformem.

CAPUT XI.

Dicendum Radius ex Vitreo humore in Retinam
allapsus, si quidem Vitreus Crystallino rario aut
æque densus existit, necessariò in eadem ad per-
pendicularem refringitur; si verò densior; non est sim-
pliciter necessaria refractio.

Omnia tria membra probantur. Tunica Retina lœuis, &
pellucida est, igitur radios infra se admittit. Consequentia clara est.
Antecedens probatur. Nam superficiem concauam communem
habet cum superficie conuexâ Hialoydis, conuexam cum conca-
uâ Choroidis; sunt autem istæ ambæ lœuissimæ instar speculi; igi-
tur & ipsis adiacentes lœues esse non est ambigendum. id quod
etiam absque hoc ratiocinio, ipsa visus comprobatione facilè pa-
tescit.

Perspicuitas eius euincitur, quia nimirum color pupillæ per
eam à fundo Choroidis transparer. Quod autem ad perpendicular-
arem refractio fiat, (si Vitreus Crystallino rario aut æque den-
sus existat,) hinc euincitur: quia res obiectæ visui ordinariè in
locis veris quam proximè visuntur, quod ut defendatur, tenen-
dum est, ex hac hypothesi, radium visorum in humore Crystalli-
no & Vitreo deuantem, in ordinem reduci à tunica Retina, pro-
pter ea quod ipsa humore oculi quolibet densior euadat: vnde ra-
dium visorum ad perpendicularē, ideoq; in locum quodam-
modo

modo verum reclinat. quod nequaquam fieret, si ipsa Vitreo humore rarer esset. Nam Vitreus humor HMNI, in figura priore rarer esset Crystallino HK, cum radius GK, refringeretur secundum radium KO, ut dictum capite 10. & si Retina tunica rarer existeret humore Vitreo, radius in eare refractus & formaliter visorius (ut postea videbitur) esset OP, qui punctum A visum transferret in locum Q, quem designat radius PQ, ultimo & immediatè visorius, quibus omnibus tamen manifesta experientia refragatur. Et confirmatur amplius ex octauo capituli resumpto schemate. Positis enim Crystallino & Vitreo que densis, veniet radius LM absque curuatione ullain R, qui visorius esse non potest, cerneretur enim F in loco Q, contra experientiam, cum videatur in G. Quod si Vitreus maior sit Crystallino, in puncto refractionis M, magis discedet radius LM à perpendiculari OMN, fieriq; refractionis radius MS, qui foras eiusdem incidet in locum T, quo etiam transferet punctum F: cum autem ipsum ex parte rei, teste experientia conspiciatur in G, impossibile est, ullum diætorum radiorum visorum esse, necesse ergo, eos omnes in tunica Retina emendari. Quod ut fiat, oportet Retinam dictis humeribus densiorem sumere. alijs enim punctum F non restitueretur in locum G, sed magis differretur in alienum ultra H, Q, & T.

Nullam vero refractionem omnino necessariam esse in Retinâ si Vitreus humor Crystallino densior, aut tunica Retiformi non sit rarer, inde liquet, quia eiusdem spissitudinis tunc probabiliter existit. Et cætera pleraque rectè defendi posse videntur, absque ulteriore refractione. Sed ex alijs capitibus multa obstacula ingerunt, uti in sequentibus frequenter occurret.

EPITOME HACTENVS

Dictorum.

CAPVT XII.

RADIJ IN OCULUM AB VNO PUNCTO VISIBLE, DONEC RES OBJECTA PERCIPIATUR EMISSI, NEC POSSUNT FACILE PLURES ESSE QUAM SEX, NEC PARIORES QUAM VNUM.

K

Sex